

NICOLAVS EVERARDVS PRAESES HOLLANDIAE.



Nicolaus ille ex nobili familia apud Hollados natus, & in omni genere uirtutum educatus est. Is cum foelici ingenio frueretur, parentum consilio optimis præceptoribus traditus, & in bonis literis preclare institutus fuit. In ijs quoq; adeò profecit, ut patriæ & nobilitati ornamento esset. Itaq; factum ut Carolus Cæsar hunc Nicolaū inter consiliarios receperit, atq; Hollandiæ præsidem constituerit. Eam functionem Nicolaus magna prudētia administrauit, subditos in officio retinuit, bona rum literarum studia fouit, atq; suis uirtutibus cunctis alijs exemplo fuit. Vnde Erasmus Roterodamus ipsum Nicolaum plurimūm dilexit, doctos uiros commendauit, atq; frequenter suis literis interpellauit. ad eas quoq; Nicolaus pro sua eruditione respondit, & magnam apud omnes gratiam sibi conciliauit. Eras.lib. 17 Epistolarum.